



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio tertia. Vtrum præter cognitione[m] rerum in verbo fuerit Christo  
infusia alia rerum cognitio in proprio genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



4 AD primum arg. dicendum q̄ scientia animæ Christi non æquatur scientiæ diuinæ, per hoc q̄ videt omnia quantum ad id quod sunt, neq̄ quantum ad numerū scitorum, neq̄ quantum ad claritatē cognitionis, nō quantum ad numerum scitorum, quia Deus non solum scit de rebus quid sint secundum naturam speciei & quidditatis, sed scit de vnaquaq̄ specie rei quot̄ indiuidua sunt actualiter, vel erūt pro quacunq̄ differentia temporis, quia cognoscit essentiā suam non solū vt est potens producere, sed vt est actū volens producere hoc vel illud: numerus autē indiuiduorum excedit numerū quidditatum secundum speciem. Etiam dato q̄ æquaretur secundū numerum scitorum nō tamen simpliciter. Quia quātitas scientiæ non solum attenditur secundū numerum scitorū, sed etiam secundum claritatē cognitionis. Constat autē quod Deus clarius videt res, quā quicunq̄ intellectus creatus.

7 Ad secundum arg. dicendum quod illa cognitio de die iudicii quando futura sit, est cognitio an sit, vel quando erit: & talem cognitionē nullus beatus præter Deum habet ex natura visionis diuinæ, vt dictum fuit. nihilominus quauis anima Christi hoc modo non habuit cognitionem de die iudicii, habuit tamen per reuelationē: dicitur tamen nescire, quia non fecit nos scire. Interrogatus enim ab Apostolis super hoc Act. 1. noluit eis indicare, sed dixit, non est vestrum nosse tēpora, vel momenta, &c. Pater autē dicitur scire, quia hanc cognitionē tradidit filio, non solū secundum diuinā naturam, sed etiā secundū humanam, sicut Chryso. argumentatur: si enim Christo homini datum est qualiter oporteat eum iudicare, multo magis datum est ei scire, quod est minus, scilicet tempus iudicii.

8 AVTORITAS autem Gregorii adducta pro alia parte, intelligenda est de cognitione rerum quārum ad essentiam & non quantum ad existentiam, vtrum sint, an non. Et similiter exponenda est glosa Apoc. vel vtrumq̄ intelligendū est, non solū de cognitione beata, sed de quacunq̄ cognitione diuinitus infusa, de qua postea quæretur.

## QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum præter cognitionem rerum in verbo data fuerit Christo cognitio rerum in proprio genere.

Tho. 3. q. 11. ar. 1. & 2. q. 12. ar. 1.

DEinde quæritur de secunda cognitione quæ ponitur in Christo. Et quæritur, vtrum præter cognitionem rerum in verbo fuerit Christo infusa alia cognitio rerum in proprio genere. Et videtur quod non, quia eiusdem secundum idem, ac respectu eiusdem non est nisi vna perfectio, sed Christus secundum partem intellectiuiam nō habet de eisdem rebus aliam cognitionem.

2 Item vbi est cognitio perfecta, non indiget cognitione imperfecta, sed omnis creata cognitio quæ habetur de rebus in verbo, ergo vbi est cognitio de eisdem rebus in verbo, superfluit omnis alia cognitio de eisdem rebus, sed in Christo est cognitio rerum in verbo, ergo &c.

3 IN cōtrarium arguitur, quia cognitio rerum in verbo non excludit in angelis cognitionem earum in proprio genere. matutina enim cognitio nō excludit vespertinam: ergo similiter in Christo cognitio rerum in verbo non excludit cognitionem rerum in proprio genere.

4 RESPONSIO. Circa quæstionem istam videntur da sunt tria. Primum est, an in Christo sit ponere talem scientiam. Secundum est, ad quæ, & quos se extendit. Tertium est de vsu illius scientiæ, vtrum fuerit collatiuus, & per conuersionem ad phantasma.

5 QVANTVM ad primum dicendū est q̄ præter cognitionem beatā fuit in Christo cognitio infusa, quæ cognouit res in proprio genere. Quod probatur dupliciter, supposito illo quod dictū fuit superius, scilicet q̄ non deuit filium Dei assumere naturam humanā imperfectā. tunc sic, sicut se habet gratia ad volūtatē, sic scientia ad intellectum, sed in Christo fuit plenitudo gratiæ perficiens voluntatē non solū ad actus patriæ, sed ad actus viæ: ergo in Christo fuit plenitudo scientiæ perficiens eius intellectum, non solū quoad actum patriæ, quæ est visio beata, sed etiam quo ad actum viæ, quæ est cognitio rerū in proprio genere. Secundū quia dicit Dion. 7. cap. cœlestis

Hierar. Christus secundum q̄ homo docet angelos. Hoc autem non potest intelligi quo ad cognitionem beatam, quia secundum illam quilibet docetur immediate à Deo videndo diuinā essentiam, & illa quæ representantur per ipsam. Oportet ergo quod intelligatur de alia scientia, per quam cognoscuntur res aliter quā in verbo. Tenendum est ergo quod in ipso ab infatū suæ conceptionis fuit non solum cognitio beata, sed quædam alia cognitio infusa, per quam cognouit non solum entia naturalia, sed etiam mysteria diuina, vt itatim dicitur.

6 QVANTVM ad secundum dicendū est q̄ scientia hæc extendit se ad cognitionē omnium rerū naturalium, & ad cognitionē omnium mysteriorum diuinorū, & omnium cogitationū & factorum hominū. Quod autem extendat se ad cognitionem omnium rerum naturalium, & omnium mysteriorum diuinorum patet ex eodem principio, ex quo supra, scilicet quod deuit quod anima Christi esset perfectissima. Ex quo sic arguitur, Ens in potentia non est perfectum quousq̄ reductum sit ad actum, sed anima Christi fuit in potentia naturali ad cognitionem omnium rerum naturalium, cum hæc sit natura intellectus possibilis: fuit etiā in potentia obedientiali ad cognitionem omnium mysteriorum diuinorū: ergo cū fuerit perfectissima, oportet quod habuerit cognitionem omnium naturalium & mysteriorum diuinorum. Quod autem cognouit omnia facta, & cogitata hominū patet, quia cuiuslibet beato præter visionem diuinā reuelatur quicquid ad ipsum pertinet, sed ad Christum secundū quod homo est, pertinet iudicare de omnibus hominibus factis, & cogitationibus eorum, ergo Christus habuit cognitionem omnium hominum factorum, & cogitationum ipsorum: ipsam tamen diuinam essentiā non videt per talem scientiam, nisi sicut videtur in viatoribus deductione naturali quia visio clara & iuda diuinæ essentie est visio beata, de qua dictum fuit supra: hæc autē quæ dicta sunt insinuantur mysticē de Christo Esa. 11. vbi dicitur plenus spiritu sapientiæ, & intellectus, scientiæ & consilii. Nam ad sapientiam pertinet cognitio diuinorum ad intellectum principiorum, ad scientiam cognitio conclusionum, & ad consilium cognitio agendorum, quæ omnia perfectissime fuerunt in Christo, propter quod dicit Apost. Col. 2. quod in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi: & sic patet secundum.

7 QVANTVM ad tertium de vsu talis scientiæ vtrum fuerit collatiuus, & de conuersione ad phantasmata. Intelligendum est q̄ duplex est collatio: vna per quā ex notis inuestigantur ignota, & talis non fuit in Christo, cui omnia nota erant per scientiā infusam. Alia est collatio, per quam ex aliquo actu cōsiderato deducitur aliud non actu cōsideratum, licet habitualiter esset notum, & hæc fuit in Christo, quia non cōsiderauit simul omnia, quorum notitiam habitalem habuit. Et ideo ex vno actu cōsiderato potuit aliud nō actu cōsideratum collatiue deducere. De cōuersione autem ad phantasmata videtur esse tenendum quod fuerit necessaria ad vsum talis scientiæ. Cuius ratio est, quia perfectio recipitur secundū modum, & capacitatem receptibilis. Hęc autē scientia de qua loquimur, fuit perfectio animæ Christi secundum q̄ erat viator. Condicio autem animæ intellectiue pro statu viæ est nihil cognoscere, nisi per conuersionem ad phantasmata, non solum quod ad res naturales, sed etiā quo ad diuina mysteria dicente Dionysio, quod impossibile est nobis aliter superlucere radium diuinum, nisi sacrorum velaminum varietate circumuelari. Propter quod videret quod ad vsum talis scientiæ requirebatur in Christo conuersione ad phantasmata. Et ideo vsus talis scientiæ non habuit Christus à principio, licet habuerit habitum.

8 AD primum argumentum dicendum quod maior veritatem habet de perfectionibus eiusdem rationis, non autem de perfectionibus diuersarum rationum, quia eandem rem possumus cognoscere per seipsam & per causam suam: & hæc sunt diuersæ cognitiones eiusdem potentie respectu eiusdem obiecti. Et eodem modo est de cognitione in verbo: & in proprio genere, quia non sunt eiusdem rationis, sed diuersarum.

9 Ad secundū dicendum est q̄ licet habens cognitionem perfectam non indigeat minus perfecta, nō oportet tamen



tamen quod minus perfecta superfluat, quia vtraque perficit subiectum secundum modum suum, nec vna inuit perfectionem alterius, & ideo licet cognitio beata simpliciter sit perfectior quacunque cognitione alia, eo quod est nobilioris obiecti, tamen alia cognitio videtur esse in aliquo perfectior quantum ad cognitionem rerum creaturarum, quia per cognitionem beatam non cognoscitur de rebus, an sint, an non. Per aliam autem cognitionem cognoscit Christus de rebus an sint. Et similiter de mysteriis diuinis, de factis & cogitatis hominum, propter quod non superfluit, imo quo ad hoc perficit, vt supplet id quod non habetur per cognitionem beatam.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum in Christo fuerit scientia modo humano acquisita.

Tho. 3. q. 9. ar. 4. ad primum.

**P**ostea quaeritur vtrum in Christo fuerit aliqua scientia modo humano acquisita. Et videtur quod sic, quia Christus in scientia profecit secundum illud Luc. 2. Iesus proficiebat sapientia, etate, & gratia apud Deum & homines. Et Ambr. dicit quod proficiebat secundum sensum humanum. Sed constat quod non proficiebat quantum ad scientiam beatam, nec quantum ad infusam, quia vtramque istarum habuit plenissime ab instanti suae conceptionis, ergo proficiebat secundum aliam scientiam modo humano acquisitam.

2. Item perfectio gratiae non excludit perfectionem naturae, sed ad perfectionem naturalem animae pertinet acquirere scientiam per experimentum & doctrinam, ergo scientia beata & infusa quae fuerunt in Christo per gratiam, non excludunt ab eo scientiam modo naturali acquisitam.

3. Ad idem est quod dicitur Heb. 5. quod cum esset filius Dei didicit ex his quae passus est obedientiam.

4. IN contrarium arguitur, quia si in Christo esset aliqua scientia modo humano acquisita, ille modus esset per doctrinam vel experientiam, non per doctrinam, quia sicut dicitur Ioan. 7. Mirabantur Iudei dicentes, Quomodo hic literas scit cum non didicerit eas? nec per solam experientiam, quia illa scientia quae est per solam experientiam vnus hominis acquisita est valde imperfecta, quod non est ponendum in Christo: ergo nullo modo fuit in Christo scientia modo humano acquisita.

5. **R**ESPONSI O. De hac questione sunt duo modi dicendi, non solum a diuersis doctoribus, sed ab eodem in diuersis locis. Vnus est quod in Christo fuit scientia humano modo acquisita. Alius est quod in Christo non fuit alia quae talis scientia. Et vterque modus potest aequaliter sustineri, facta tamen alia & alia suppositione.

6. Si enim ponatur quod omnis scientia infusa sit alterius rationis a scientia acquisita tunc potest probabiliter suscipi quod praeter scientiam infusam fuit in Christo alia scientia naturali modo acquisita. Quia ex quo sunt diuersarum rationum vna non impedit quin alia possit si mul esse in eodem subiecto, nec aliquid perfectionis est auferendum a Christo quod inueniatur in aliis hominibus sicut est acquisitio scientiae modo naturali.

7. Si autem scientia infusa & acquisita sint eiusdem rationis maxime eiusdem obiecti tunc tenendus est secundus modus, scilicet quod in Christo non fuit aliqua scientia modo naturali acquisita. Suppositio autem videtur probabilis, quia sicut visus naturaliter habitus, & per miraculi restitutus est vnus rationis sic scientia naturaliter acquisita, & diuinitus infusa videtur esse vnus rationis.

8. Quo supposito probatur tripliciter quod in Christo non fuit aliqua scientia acquisita. Primo sic, in eo qui habet iam habitum scientiae per ea quae a sensu accipit non acquiritur nouus habitus eorum quae prius sciuit. Alioquin duae formae eiusdem rationis essent simul in eodem subiecto quod est impossibile: vel saltem vna superflua esset, sed Christus habuit habitum scientiae infusam per quam cognouit quicquid naturaliter est cognoscibile vt dictum fuit prius, ergo per ea quae a sensibus accipit non fuit in eo acquisitus habitus nouus scientiae.

9. Secundo probatur idem sic, Sicut inconueniens est quod Christus acceperit scientiam ab hominibus per auditum ita inconueniens est quod acceperit scientiam per experientiam

ex rebus sensibilibus, sed omnes concedunt communiter quod inconueniens fuit Christum accipere scientiam ab hominibus per auditum, vel doctrinam eo quod ipse fuit datus nobis doctor, ergo inconueniens fuit quod Christus acciperet scientiam ex sensibilibus per experientiam, minor conceditur ab omnibus. Sed maior probatur, quia homo non accipit scientiam ab alio homine, nisi quia proponuntur ei voces significatiue rerum sensibilibus, ita quod homo docens non videtur esse nisi obiectum proponens. Et eodem modo res sensibiles se habent ad hominem, quia ex his tanquam obiectis sumit cognitionem per experientiam. Si ergo inconueniens est Christum accipere scientiam ab hominibus, quia in hoc videtur sua perfectio dependere ab hominibus eadem ratione videtur inconueniens Christum accepisse scientiam, a rebus per experientiam, sic enim perfectio sua dependeret a rebus.

10. Tercio, quia scientia quae acquiritur per experientiam ex hoc quod sensibilia sunt praesentia sensibus, sed sensibus Christi pauca valde sensibilia fuerunt praesentia comparatione eorum quae nunquam sensu percepit, ergo scientia hoc modo acquisita fuisset in Christo valde imperfecta, quod non est dicendum. Et si dicatur quod licet corporalia sensibus Christi non fuerunt omnia corporalia subiecta. Ex his tamen quae subiecta fuerunt potuit in aliorum notitiam deuenire. Cum ex lumine naturali intellectus possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas & e conuerso. Et modo potuit Christus videndo corpora caelestia comprehendere eorum virtutes & effectus quos habent in istis inferioribus licet eius sensibus non subiaceret. Non videtur, quia ex sola visione corporum caelestium nullus potest comprehendere virtutem eorum, sed potius experientia effectuum loquendo de naturali cognitione hominis, de qua nunc agimus. Et ideo per experientiam habitam in quacunque re non potest haberi scientia de illis rebus, de quibus est experientia, vel de consimilibus secundum speciem. Sic enim ex multis sensibus fit memoria, ex multis memoriis experimentum. Ex multis experimentis vniuersa scilicet quod est principium artis & scientiae, vt dicitur in propheta metaph. sic igitur videtur probabiliter quod in Christo non fuerit aliqua scientia modo humano acquisita.

11. **A**D rationes in contrarium. Ad primam dicendum quod profectus siue incrementum in scientia potest esse dupliciter. Vno modo quantum ad essentiam habitus, quia est sicut habitus intensior, vel quia ad plura se extendit. Et isto modo Christus in scientia non profecit, quia omnia sciuit secundum habitum ab instanti suae conceptionis eque perfecte sicut postea, & sic loquitur Damasc. qui dicit quod qui proficere dicunt Christum sapientia & gratia, vt ad ditamentum sensus suscipientem non eam, quae est secundum hypostasim, vnione venerantur. Alio modo est profectus in scientia quantum ad aliquem modum certitudinis. Sicut cum aliquis certus de aliqua conclusione per demonstrationem (puta de edipsi) eam postea sensibilibus intuetur. Per hoc enim noua certitudo additur & praecedens confirmatur. Et haec vocatur certitudo experimentalis, & quantum ad hoc creuit scientia, in quantum quotidie alia qua videbat, quae prius non viderat, licet ea sciret per scientiam sibi infusam. Et de hoc incremento loquitur Euangelista & Ambrosius, vel potest dici profecisse in scientia, sicut Magister exponit in litera non secundum se, sed quia maior de die in diem ostendebat hominibus, ex quibus magis manifestabatur sua scientia & gratia.

12. **A**D secundum dicendum quod perfectio gratiae quae est alterius rationis a perfectione naturae non excludit eam. Sed si per gratiam detur alicui perfectio quam posset acquirere per naturam, tunc ea data similis non posset acquiri, ne duae formae eiusdem rationis sint simul in eodem subiecto: per id quod dictum est prius patet responsio ad illud quod dicitur ad Heb. 5. didicit, &c. quia hoc intelligitur solum quoad certitudinem experimentalem.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam.

Tho. 3. q. 13. ar. 1.

**C**onsequenter quaeritur, vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam. Et videtur quod sic. Mar. 16. dicit Christus, data est mihi omnis potestas in caelo & in terra.